

de Luthero.

185.

I. N. I. C. C.

VT

INSPECTORES SCHOLÆ GRAVISSIMI
PIEQVE DEVENERANDI,

NEC NON

DOCTI PVÆQVE FIDEI AMANTES OMNES

SECVLARI LAETITIAE,

QVAM SCHOLA

OB PVRIORA SACRA PER DVO SECVLA
CHEMNICIO SERVATA,

ORATIONIBVS ALIQVOT HABITIS,

DIE IVLII SEXTO

QVI TERTIVS EST POST FAVSTVM VLRICI DIEM,
HORA DECIMA AVDITA,

PVBLICE DECLARABIT,

INTERESSE ET CVM GAUDENTIBVS
GAVDERE VELINT,

MAXIMO ROGITAT OPERE

*M. Daniel Müllerus,*

176.

Rect. Schol. Chemnic.

CHEMNICII,

LITTERIS STOESSELIANIS A. MDCCXXXIX.

Biogr. erud.

D. 16/5, 80

414 Chemnic. - Vol VII



* * *

artinum Lutherum, primo vltimae fere caueae hominem, tantum praeter omnium opinionem euasisse virum, quantum sibi cogitatione fingere vix quisquam potest, bonis omnibus est persuasissimum. Tenebris enim perniciosorum errorum immerfi mansissent vici, immerse vrbes, immersa tota regna, nisi Deus benignissimus illum excitasset atque animo incredibili, cognitioneque rerum diuinarum tunc insueta, armasset. Sane quod nec *Ioh. Hussus*, nec *Hieronymus Saunarola* (a), nec testes veritatis alij (b) effecerunt, hoc Lutherus, vel potius Deus praepotens ipse per Lutherum effecit. Vnicum hic, & id quidem illustre de his Lutheri meritis audiemus testimonium, nempe *Francisci Caroli*, Ducis Saxoniae, Angariae & Westphaliae, *Martinus Lutherus*, inquentis (c), *Augustinianus monachus*, homo alias nulla natalium aut fortunae gratia pollens, cum blasphemias tota Europa exundantes, & infame Indulgentiarum mercimonium diutius pati non posset, ancipiti verbi diuini gladio tutus in Babylonicum imperium, quod aduersus omnium temporum iniurias perpetuo & sacro quodam foedere securum esse sibi videbatur, magna vi irruit, & in Papam impetu facto, quasi vno momento omnia regni eius fundamenta quassauit. Si quis, laudabile hoc testimonium & mille alia ab amicis profecta, & sic leuioris esse momenti, dixerit; ei hostes etiam, quorum laudi non parum inesse ponderis recte iudicatur, praeclarissime de Luthero sentientes monstramus. Inter eos, qui Caluinum ducem sunt secuti, eminent *Theodorus Beza*, ita (d) de Luthero canens:

*Roma orbem domuit, Romam sibi Papa subegit,
Viribus illa suis, fraudibus iste suis.
Quanto isto maior Lutherus, maior & illa!
Illum illamque vno qui domuit calamo.
Inunc, Alcidem memorato, Graecia mendax:
Lutheri ad calamum ferrea claua nihil.*

Iungimus huic Polonum Caluini sectae itidem adhaerentem, *Georgium Zarnowitzam*, qui Lutherum virum piuum, virum Dei sanctum, ab ipso Deo praepotente, ad opprimendos errores oppressamque veritatem resuscitandam missum nominare (e) non dubitauit. E Pontificis Romani cultoribus magna vis hominum, qui debitam Luthero laudem tribuerunt, adduci hic posset: verum vnici, Hispani scilicet, quae natio Luthero fere infensissima nunquam non est deprehensa, dictum nobis iam sufficiet. Non ita multo post redonatam Germaniae puriorem doctrinam Germanus Princeps, religionis gratia, celebrem Galliciae urbem, Compostellam, adierat, vt crimina sua confiteretur, & venia, S. Iacobi deprecatione, impetrata, dein domum reuerteretur. Sacerdos Hispanus peregrinatorem, quem e Germania ventitasse animaduertebat, verbis eius perceptis, ita affatus esse fertur: *Mi fili, cur in tam longinquo distoque loco quaeris, quod in Germania multo habes melius? Legi ego Augustiniani Monachi (Lutheri) scriptum de Indulgentiis, in quo criminum veniam veramque indulgentiam soli merito ac perpeffionibus Christi acceptam ferendam esse, inuidetis argumentis confirmat. Huic veritati insistito; neque aliud quidquam tibi persuaderi sinito* (f). Opponere hic, nescio quis, videtur, quod, si vel maxime vnus & item alter e Pontificis latellitibus aliquod Luthero & doctrinae eius pretium statuerit; multa tamen aliorum millia horrendas atque ab omni fide alienas in eum eructauerint calumnias; vnde, quo in eum animo fuerint, clare satis pateat. At vero tantum abest, vt hoc ego negem, vt potius aliquas insulsissimarum eiusmodi criminationum adiiciendas putem. Quid quaeso dici absurdius potuisset, quam Lutherum ex Megaera natum, atque ex orco in Germa-

(a) de quo, praeter alios, multis agit Tentzelius in Colloq. Menstr. a. 1696. p. 536. ad p. 560. (b) de quibus consuli potest egregius liber Matthiae Flacii de Testibus Veritatis. (c) p. 36. seqq. Orationis pro Germania, quae extat in Lanfii Consultationibus, p. 17. seqq. (d) in Epitaphiis. (e) In der Postilla oder Auslegung der allgemeinen Kirche. Plura Poloni huius elogia Luthero tributa e libro modo dicto excerpta lege, si placet, in der Fortges. Sammlung von N. u. N. Theol. Sachen, im andern Beytrag, außs 1737. Jahr, p. 138. 139. (f) Legi hanc historiam in Valerii Herbergeri P. IX. Magnal. Dei, pag. 400.

niam protrusum? Et tamen finxit hoc *Caletanus Vizifchius* (g). Quid a veritate alienius, quam Lutherum inter & hominum osorem infensissimum, Satanam, tantam intercessisse familiaritatem, ut, quid tandem iudicii de Missa sit terendum, ille ex hoc quaesierit? Has autem voces non imperitos atque indoctos, sed eruditionis fama celebres viros iactasse nouimus. Tres eorum si nominare hic licet, putidae huic calumniae calculum suum *Iacobus Benignus Bossuetus* (at quantae dignationis inter suos vir!) adiicit (h). Recoxit hanc obtrectationem de colloquio Lutheri cum diabolo, ex quo Missam condemnare & reiicere didicerit, *Antecurtius* (i): cuius librum non ita probabili ratione *Antonio Arnaldo* aliqui adscripserunt. Assumit etiam, ut ternarium numerum suppleam, eandem de intima Lutheri ac mali daemonis familiaritate, tanquam e tripode profectam atque omni exceptione maiorem, fabulam *Nicolaus Maria Pallaucini* (k). Ex his sicuti satis est manifestum, viros hosce a Pontificis nutu pendentes, atque illum mille Augustinis & mille Hieronymis praefereutes (l), ipsum diabolum doctrinae Lutheri auctorem credere: ita origo eius diuina nobis certa satis & sole meridiano est clarior. Quicquid enim cum verbo summi illius domini, qui non verax, sed ipsa est veritas, accurate consonat; illi ortus diuini palmam facere dubiam non quisquam potest. Neque leue diuinitatis huius indicium est, quod doctrina haec aurea, scoriis Pontificiorum reiectis, breui temporis spatio non in Germania tantum, sed in exteris etiam regnis agnita & magna cupiditate seruata fuit (m); quamuis non terrenam aliquam felicitatem, sed malorum lliadem, vexationemque potentia valentium magna coniunctam secum haberet. In nostram hanc urbem eadem paullo serius anno post millesimum quingentesimum nono & tricesimo, posteaquam scilicet illa per annos duos & viginti Witteberga & alia loca complura gauisa iamiam fuerant, peruenit: cuius morae causas si rimari vellem atque exponere, actum sine dubio agerem. Quis ille sit dies, qui te, Chemnicium, felicitatis huius maximae fecit participem, his nobis *Matthaeus Dresserus* indicat (n) verbis: *Prima concio Evangelica Chemnici habita est in festo Vtrici* (o). Addimus hic merito, quod *Dresserus* de sua tempestate gloriatus est, quod nimirum ad haec vsque tempora, quibus nobis inueneri hanc lucem licet, thesaurus iste incomparabilis, quae Dei est gratia, laudibus nunquam satis celebranda, vrbi sit custoditus ac seruatus. Rara certe est felicitas, quando purum Dei verbum per aliquot secula alicubi manet sartum rectumque. O si omnes homines ingratorum crimen horrerent! Fortasse beneficio hoc non adeo cito, veluti multis accidit, orbarentur! In historiarum campos si excurrimus, plurima loca e luce clarissima in spissas tenebras, tempore non ita magno interiecto, retrusas fuisse, cernimus. Recte monuit (p) Vir nobilis pariter ac doctus, *Nicolaus Amsdorffius*, Deum populo dilecto, cui, per ipsum filium suum, veritatem caelestem adferri curauerat, post quadraginta circiter annos, ob mentes, quibus nihil erat ingratius, iterum abstulisse, & cum Asiae, Graeciae, Italiae non alia fuisse fata dixisset, Germaniae etiam non aliter euenturum esse, ominatus est. Absit omen! Huc vsque nobis ex gentibus voluntatis diuinae ignaris oriundis longe durabilior ista fuit gratia; siquidem non per quadraginta, sed per quinquies quadraginta annorum decursum continuum isto bono excellentissimo sumus fructi. Non prohibiti fuimus aditu templorum nostrorum: non illa genti sacris nostris inimicae sunt patefacta ac tradita: hic Deum quaerere, vbi se praecipue in nostrum com-

(g) Vide Acta Erud. a. 1686. p. 573. (h) dans l'Histoire des Variations des Eglises Protestantes, Tom. I. Lib. IV. §. 17. (i) dans la Defense de l'Eglise contre le livre de Monsieur Claude, P. II. c. 3. (k) in Libro, cuius titulus: Difesa del Pontificato Romano & della Chiesa Romana. Vide Acta Erudit. Tom. I. Supplement. pag. 185. Ceterum hic non tacendum, Illustrem Seckendorffium in Dissertatione Histor. & Apologet. pro doctrina D. Lutheri de Missa, inserta Actis Erud. an. 1686. p. 606. seqq. hanc calumniam egregie confutasse. (l) Cornelius Mussus vnicum Papam Romanum mille Augustinis & Hieronymis expresse praefert, teste B. Ittigio in Orat. Inaug. pro Ioh. Dallaei Tractatu de Vsu Patrum aduersus Matth. Scriueneri Apologiam pro S. Eccles. Patribus. (m) Huuc celerem Progressum exponit B. Rechenbergius in Disp. de Obstac. Progressi Reform. Luther. §. 4. seqq. (n) de praecipuis Germaniae Urbibus pene ducentis, p. 182. (o) die nempe quarto Julii. Lege hic, si placeat, Programma meum, quo a. 1711. die 8. Nov. ad spectanda & pie ruminanda Initia Reformationis Chemnicensis inuitaui. (p) In Praefatione, quam in fronte habet B. Lutheri Haug. Possille, excusa Luneburgi, a. 1686.

modum, praesentem fore promisit, hic inuenire, quotiescunque libuit, sine impedimento potuimus: hic pura Dei eloquia, quibus nil fraudis humanaeque fictionis admixtum, ex ore probatorum Doctorum percipere licuit, & quod impense laetamur, iam quoque licet. Nonne igitur nobis gratiam longe maiorem, quam centum locis aliis, contigisse, nonne aliorum conditionem felicitati nostrae haud aequiparandam esse, intelligimus? Equidem diffiteri haud possumus, veram puramque fidem aliquoties apud nos, si non labefactam, certe in periculum adductam, uti nonnulli opinantur, fuisse. Ex verbi enim Doctoribus, & ipsis etiam Praesulibus errorum in doctrina accusati sunt nonnulli, & propterea vel officio sacro exuti, vel alio abire iussi. *Ipsi Fusio*, a quo ad sacra repurgata, post Deum, adductam esse urbem, supra tuit monitum, a Sparta commissa ut discederet, tandem imperabatur: non tam ob errorem aliquem, quam quod maleuolorum quorundam odio apud Mauritium Electorem falso fuerit delatus (q). Tertius Praesulum, *Christianus Schützius*, per annum illud spatium, quo muneri sacro hic praesuit, falsi aliquid vel sensisse vel docuisse vix putandus est; tametsi tandem, cum aulici Oratores partes, per annos complures, bene obisset Dreldae, ad graues Caluini aberrationes est perductus, & ob id officio motus, nec sine ignominia (id quod ego non laudo) tumulo illatus (r). *Tettelbachium*, Schützii successorem, vel quod infamum illud INTERIM probauerit, vel quod Flacium errantem sit secutus, vrbe & tota simul Saxonia excedere oportuisse, existimarunt quidem nonnulli. Sed non satis notitiae *de vero hoc & genuino Lutheri discipulo* habuisse mihi videntur (s): cum ego, clare satis innocentiam Tettelbachii a me alibi demonstratam esse (t), probe reminiscar. De aliis Chemnicii doctoribus, *Georgio Ruta*, *Georgio Autumnio*, & *Andrea Langio*, quibus simili ratione, ut officio sacro decederent, iniunctum fuisse legimus, quanquam ore ipsorum peruersi aliquid exiisse probari haud queat (u), ne verbum quidem hic superaddo. Minus enim dubitabilis est veritas, per duo integra secula incorruptam verbi divini integritatem vrbi nostrae servatam esse: id quod quemadmodum gratias infinitas, Deo agendas, (Deo enim soli tantum beneficium adscribendum est) requirit: ita gaudium animorum pium atque solenne parit. Huius gaudii non expers quoque esse debuit schola nostra, cui longe est salutaris, doceri in ea, τὰ ἱερὰ γράμματα, τὰ δυνάμενα σοφίας εἰς σωτηρίαν διὰ πίστεως τῆς ἐν χριστῷ Ἰησοῦ, (x) quam studia, quae non negligimus, humanitatis. Ad publice illud declarandum recitabunt aliqui discipulorum nostrorum memoriter Orationes sequentes. Nempe

- I. Mauritius Augustus Mathesius, Clodra Variscus, *de vanitate & iniquitate laetitiae secularis apud veteres Romanos, oratione gallica,*
- II. Christianus Ernestus Sontagius, Chemnicensis, *de aequitate laetitiae secularis apud Christianos, orat. latina, &*
- III. Io. Adamus Reicholdus, Wiela Misnicus, *de praestantia boni, ob quod Chemnicium gaudio seculari iam perfunditur, orat. latina, agent.*
- IV. Christianus Fridericus Jünger, Chemnicensis, *modum, quo Chemnicium ante duo secula accepit purum Dei verbum, oratione germanica, describet.*
- V. Ioh. Ernestus Schurichius, Chemnicensis, *obstacula, ob quae Chemnicium paullo serius hoc bono praestantissimo potitum est, orat. latina, exponet.*
- VI. Ioh. Augustus Kaepplius, Chemnicensis, *Wolfgangum Fusium, primum Verbi sanioris apud Chemnicenses praeconem, orat. latina, paullo accuratius intuebitur,*
- VII. Gottofredus Müllerus, Chemnicensis, *Odam secularem, genere Sapphico scriptam, Horatium (y), quantum licet, imitatus, canet.*

Nunc Vos, *Patroni, Fautores, Amici*, impense rogitō, ut ob excellens hoc bonum, quod grata schola praedicat, praesentia Vestra exoptata eo lubentius nos dignemini, quod simili occasione circulos vestros calamus meus turbaturus amplius, Vosque ad nos inuitaturus non est.

(q) id quod ego alibi docui, nempe Programmate I. de Ephoris Chemnicensibus. (r) Videatur Antonius Weckius in Chron. Dresd. p. 115. (s) sic appellatur a D. Heshusio in Praefatione Catechismo Tettelbachii praemissa. (t) in Program. II & III. de Praesulibus Chemnicensibus. (u) Egi a. 1719. in Program. peculiari de iis, qui inculcati sunt, quod Chemnicii τὰ διεσπαρμένα docuerint. (x) verba sunt Pauli 2. Tim. III. 15. (y) carmen hoc seculare est in Horatii fine Libri Epodon.